

Dissertatio inauguralis medica de clavo haemorrhoidali ... / [Johann Gottlieb Raupbach].

Contributors

Raupbach, Johann Gottlieb, 1709-1735.
Heister, Lorenz, 1683-1758
Universität Helmstedt

Publication/Creation

Helmaestadii : Typis Pauli Dieterici Schnorrii, [1734]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cathsav7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CLAVO
HAEMORRHOIDALI

QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS ATQVE GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA IVLIA
PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO

SER. DVCI BRVNSVIC. ET LVNEBVRGensi A CONSILIIS
AVLICIS ET ARCHIATRO MEDICINAE CHIRVURGIAE AC
BOTANICES PROFESSORE PVBLICO

PRO GRADV DOCTORIS

IN IVLEO MAIORI

DIE XXX DECEMBR. A. O. R. MDCCXXXIV

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM

CONSVETIS

PVBLICE DEFENDET

IOH. GOTTLIEB RAVPBACH

SVIDNICENSIS SILESIVS.

HELMAESTADI

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN OMNIBUS MEDICIS
DE
CLAVO
HAEMORRHOIDALI

CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISS. ACADEMIE GRATIOSAE
FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA IVLIA
PRÆSIDENTE

LAVRENTIO HEISTERO
SER. DOCT. BRUNNEN. ET LAMBERGEN. A. CONSILII
AULICI ET ARCHICAM. MEDICINAE THIRACINAE AC
ROTUNDI PRÆF. JOSE. PAVLO

PRO GRADU DOCTORIS
IN IVLIO MAIORI
DIE XVI. DECEMBER. A. C. R. MDCCCLXIV.
HON. AULIC. ET POST. MEDICINAE
CONSILII

JOH. GOTTLIEB BAYRACH

HEILBRUNNEN
TYPIS PAVLI DIERCKH. SCHNORRI
ACAD. THEOD.



PRAELOQVIUM.



Ogitanti mihi, finito studiorum meorum curriculo, quod aut quale demum dissertationis meae inauguralis argumentum sive obiectum eligerem, variae primum dubitationes animi distrahere videbantur. In amplissimum quidem, aut subtiliorum speculationum,

num, aut practicarum veritatum campum excurrere hic omnino posse foecunda ingenia, probe cognovi: siquidem vel merum thema *Φυσικόν* satis copiosam suppeditare posset tractationem, si in causas rerum & modum sollicite paulisper inquirere vellent. Scopus tamen paginarum, quae hac occasione prelo subiici solent, me admonuit, magis practicae quam merae theoreticae Medicinae hic edendum esse specimen, ut eo maiori simul usui & utilitati esse possit. Ad hanc partem vero me convertens, nihil fere primo quidem intuitu dici posse videbam, quod non ab aliis iam dudum copiose fuerit ventilatum atque pertractatum. Hinc merito illud IVVENALIS:

Occidit miseros crambe repetita magistros:

ab hac quidem via animum ita avertit, ut parum abfuisset, quin laborem tot tricis refertum, aliis reliquissem, contentus, ut vulgo interdum fit, si vel praeter nomen in titulo nihil de meo in dissertatione deprehenderem. Deterruit autem ab hac vel levitate, vel ignorantia & negligentia, officii ratio, quae

quae mea potius, quamvis nondum ex amplo experientiae apparatu deprompta, aut doctrina rerum, aut verborum elegantia culta, quam aliorum effata, exhibere docet. Opportune tunc apud celeberrimum quendam Practicum, cum de variis, uti solet, rebus medicis sermo incideret, is cum aliis practicis plus vice simplici se observasse profitebatur, quod, quemadmodum apud mulieres occurrit morbus, quem recentiores *clavum hystericum* appellant; ita & apud masculos, cum primis eos, qui haemorrhoidibus laborant, cephalalgiae species interdum exstet, quae tantam cum hystérico clavo apud feminas cognationem habeat, ut penitus ipsi comparari aut aequiparari possit. Quae sententia cum mihi iam ante ex rationibus quibusdam probabilis imo verosimilis visa sit, morbi huius existentiam, iam ex allegata eius & aliorum praxi, aequae ac ante ex theoria, certam esse, & a priori, quod dicunt, demonstrari posse, quamvis in Systematibus notioribus practicis vel nondum vel parum accurate ac distincte descriptus reperiatur, perspicue cognovi. O-

perae igitur pretium fore arbitrabar, quia hoc malum valde est molestum ac vehemens, si pro instituti ratione meas cogitationes de hoc morbo in chartam conicerem, dissertationi meae sub nomine *clavi haemorrhoidalis* thema tali modo constituturus. Longius quidem meditationes de hac re pro dignitate & gravitate eius deduci potuissent, imo & debuissent, & fortasse etiam tantisper politiores. At ignoret L. B. si quid hac in re omissum vel non satis expolitum aut diductum deprehenderit: cum in re adeo gravi & fere nova, quae praestantissima atque exercitatissima ingenia requirit, & quibus etiam uberio-rem huius argumenti perfectionem commendo, ingenii mei tenuitas meliora producere non potuit; adeoque veniam ab humanitate eius ac candore decentissime & expeto & expecto. Deus vero O. M. cuius sacrosanctis auspiciis merito omnia nostra suscipimus, & hunc qualemcumque meum laborem in sanctissimi sui nominis gloriam, & aegrotantium salutem vergere iubeat.

I.

DE saevissimo hoc morbo, *clavo nimirum haemorrhoidali*, acturus, antequam rem five morbum ipsum exponendum aggrediar, boni ordinis, perspicuitatis & methodi causa nonnulla denomine expedire atque praefari haud inutile esse iudicavi. Vocabulum *clavi* latinis scriptoribus sub diversa venit significatione. Nam primo & quidem proprie significat *mechanicam quandam rem* five instrumentum, ferreum plerumque vel ligneum, quo asseres, trabes vel ligna aliaeve res coniunguntur, firmantur, panguntur five clauduntur, atque a *claudendo* nomen clavi derivatum esse videtur. Deinde etiam pro fibula five re quadam, qua veteres Romani caligas coniungebant, olim usurpatur: hinc *clavos caligares* eos appellat PLINIVS lib. 9. c. 18. Ita in tunicis Romanorum *clavi* appellabantur particulae five plagulae ex purpura fere de pectore demissae, *Knöpfe oder Schleiffen*, ut in *Fabri* lexico vertitur, quibus vestes five tunicas iungebant atque firmabant: & quibus latioribus viri senatorii, angustioribus equestres utebantur, ut notis legitimis uterque ordo distingueretur. Vnde *Laticlavii* dicti sunt, qui dignitate senatoria gaudebant; *Angusticlavii*, qui inter equites censebantur. Clavus etiam *gubernaculum* in navi significat, *das Steurruder*; hinc metaphorice clavum imperii tenere CICERO quam elegantissime dixit.

II.

Hae vero significationes me, ut Medicum, haud diutius morantur; sed cum hoc vocabulum etiam *medici-* *Quid sensu medico antiquis.*

medico sensu pro variis iisque diversissimis morbis, cum a veteribus, tum potissimum a recentioribus usurpetur, videndum nunc erit paucis, quid Medicorum filiis significet, & quo sensu a nobis hic sumatur. Sciendum itaque est, quod primum denotet *morbum arborum*; PLINIVS enim lib. 17. *Hist. natur. cap. 24.* scribit, *olea praeter vermiculationem, quam aequae ac ficus sentit, CLAVVM etiam patitur, sive fungum placet dicere, vel patellam &c.* Deinde morbum oculorum significat: nam CELSVS l. 7. cap. 7. n. 12. dicit: *clavi vocantur callosa in albo oculi tubercula, quibus nomen a figurae similitudine est*: ubi pro tuberculo duro, calloso, ex oculo proveniente, sumitur. Praeterea idem CELSVS l. 5. c. 28. n. 14. & plerique Medicorum *pro morbo pedum*, praesertim digitorum pedum, habent clavum, quando in eis tubercula, verrucis non adeo dissimilia, oriuntur, quae dolores saepe vehementes cum primis ingredientibus movent, & quidem ita, ut haud raro vix amplius ingredi queant. Germanis dicuntur *Hühner-oder Krähen-Augen*, id est, oculi gallinarum vel corvorum: cum quorum figura, magnitudine & rotunditate saepe haud parum conveniunt.

III.

Quid recentioribus.

Denique vero etiam *pro morbo capitis* clavi vocabulum habetur Medicis recentioribus, & quidem pro specie peculiari doloris capitis, in qua dolor non totum caput, neque dimidiam eius partem, quam *hemicraniam* vulgo vocant, sed certam tantum eamque exiguum quandam capitis partem iufestat, qui aegris

DE CLAVO HAEMORRHOIDALI.

aegris talem doloris sensum in capite movet, ac si clavus ferreus calvariae infixus esset, dum vehementer pungit & vexat partem aegram. Igitur clavus capitis nobis est ea species dolorum capitis, ubi aegri dolore in capitis certa eaque exigua parte conqueruntur. An in hac significatione hoc vocabulum apud priuscos Medicos occurrat, me latet, idque, ut verum fatear nusquam invenire aut deprehendere potui; licet morbus sine dubio etiam olim fuerit, & a Medicis visus sit: qui eum forte sub generali cephalalgiae vel hemicrania nomine acceperunt aut habuerunt. (*) Interea tamen quia apud recentiores saepe usurpatum, et iam usu receptum, atque civitate medica hodie quasi donatum ac simul nomen valde aptum est ad eam doloris capitis speciem, quae ad clavi calvariae infixi similitudinem dolores concitat, bene designandam, quam veteres praetermisisse videntur; non video, quare hoc vocabulum non pro hac morbi specie usurpari recte possit aut debeat. Praeterea etiam eam ob causam huic morbo apte convenit, quia dolor ille tam exiguo saepe coercetur spatio, ut clavi capitulo fere contegi possit.

IV.

Videmus ex praedictis facile, quomodo clavus capitis a reliquis dolorum capitis speciebus differat. Nam si totum caput dolor occupat, generali vocabulo doloris capitis sive *cephalalgiae* venit: quae si diuturna aut longa, *cephalaea* audit; si vero dimidiam tantum capitis partem invadit, *hemicrania* a Medicis

Differentiae ab aliis morbis affinis.

B

appel-

(*) Dolores capitis modo in toto capite, modo in parte esse, iam CELSVS notavit, Lib. 4. Cap. 2. n. 2.

appellatur; & denique, ubi exiguum tantum partem, & quidem plerumque certam, in diversis tamen hominibus variam, modo in fincipite, modo in occipite, modo iuxta tempora vel aures, modo supra oculos aut supercilia, modo in vertice sive bregmate, CLAVVS hodie Medicorum alumniis salutatur. Qui in variis hominibus diverso modo affligere solet: dum scilicet in quibusdam leviori gradu, in nonnullis vehementiori, in aliis vehementissimo, imo adeo acuto dolore aegros excruciat, ut non solum dormire non possint, atque continuis vigiliis urgeantur; verum in furorem fere agi videantur. Differt etiam hic dolor *ratione temporis*: nam quandoque brevis est & brevi tempore transit; quandoque vero diuturnus & cephalaeam refert; ita ut vix dubitandum, hunc morbum nomine vel cephalaeae vel hemicraniae olim saepe visum fuisse a Medicis.

V.

Differentiae ratione symptomatum.

Verum non hae solae sunt clavi differentiae; sed variae aliae adhuc considerari merentur. Nam primo ratione modi eum percipiendi, quandoque *sensum frigoris* in aegris excitat, eumque ita describunt Medici, quasi frustum glaciei parti capitis dolenti impositum esse sentirent; id quod pro causa humores frigidus, acidus sive pituitosos circa locum affectum congestos aut stagnantes indicare videtur. Alii contra *de dolore acri, urente*, sive fervido conqueruntur; id quod sanguinem fervidum, aestuantem, alcalicum, acrem vel biliosum pro causa habere verosimile est. Alii *dolorem pungentem* instar clavi, vel *terebrantem* instar terebrae accusant, & quae sunt aliae huiusmodi a symptomatibus variis desumptae differentiae.

VI. Ra-

VI.

Ratione caussarum etiam notabiles occurrunt clavi diversitates. Cum enim hoc malum haud raro observatum sit in hominibus hypochondriacis, praesertim litteris valde deditis, *clavum hypochondriacum* nonnulli illud vocarunt; quando vero in mulieribus hystericis sive uterinis passionibus obnoxii id occurrebat, *clavum hystericum* nuncuparunt. Ego vero cum clavum eiusmodi ab haemorrhoidibus obstructis sive suppressis ortum fuisse observaverim, similesque etiam aegros ab excellentissimo D. PRAESIDE visos ex eo cognoverim, ut simul ex nomine causa atque origo morbi cognoscatur, quid verat, illum apto, nisi me omnia fallunt, *clavi haemorrhoidalis* nomine salutare?

VII.

Malum hoc etiam facile ab aliis, quae ex conge-
 stione & stagnatione sanguinis promanant, morbis
 potest segregari ac distingui. Prima differen-
 tia *ratione dolorum* occurrit; quippe hoc nostro
 morbo laborantes, praeter eum, quem cum aliis
 communem perferunt dolorem, talem praesertim
 sentiunt, qualem illi, (si casus talis forte existeret,) *ratione*
 sensuri essent, quibus clavus caput penetraret, aut
 saltem valde premeret. Ab his itaque doloribus ipsi
 non immerito clavi haemorrhoidalis nomen tribui-
 mus. Accedit porro *locus*, qui luculentam ab aliis
 huius generis morbis distinctionem suppeditat. Cum
 enim alii ex congestione & stagnatione sanguinis
 ortum trahentes morbi, partim circa pectus, v. g.
 asthma sanguineum, anxietas praecordiorum; par-

*ratione
effectus.*

tim circa abdomen sese exserunt, ut malum hysteri-
cum, hypochondriacum, colica haemorrhoidalis, &
quae sunt alia: hic praesertim caput, partem corpo-
ris nobiliorem, & in eo quidem partes N. IV indica-
tas, occupare solet. Reliquae tandem huius morbi
species, cum vel completae vel incompletae dici
possint, quando scilicet vel in solito excretionum lo-
co sedem figunt, vel in alio & remotiori; hoc nostrum
malum ad primam praesertim classem eam ob caus-
sam referre possumus, quoniam excretio copiosi seri
vel sanguinis per nares aut haemorrhoides sub fi-
nem eius plerumque solet contingere.

VIII.

*Differen-
tia a cla-
vo hyste-
rico.*

Speciatim vero a morbo huius generis mulie-
bri, cum quo multa habet communia haec passio, a
clavo scilicet hysterico, differentiam morbi annotare
lubet. Quamvis enim causa generalis & communis,
suppressio nimirum vel emanatio haemorrhagiae cuius-
dam consuetae, nec non locus, qui in utroque caput
est, imo dolores, qui circa partes, ubi excretio fie-
ri potest, sese exserunt, in hoc pariter malo, ac in cla-
vo hysterico nullum aut parvum certe discrimen re-
linquant; nihilominus tamen subiectum, quod in
clavo hysterico femina, in clavo vero haemorrhoi-
dali ut plurimum mas est, satis utrumque mor-
bum secernit: praesertim si, quae in denominatione
diversa patet, causam in utroque diversam ante
oculos ponamus. Interea tamen non negamus, cla-
vum haemorrhoidalem etiam in mulieribus, quae
haemorrhoidibus laborarunt, quandoque oriri: quia
multae dantur mulieres haemorrhoidibus laboran-
tes,

tes, & inprimis ex eis, quae vel mensium difficultate pressae, vel quibus ob aetatem menses iam desierunt.

IX.

Praeterea *diversa anni tempora, tempestates annuas, menstruas ac diurnas* tantopere variantes, nec non morbi ipsius tempus speciale, principium videlicet, incrementum, statum s. *ἀκμὴν*, decrementum denique; postremo diversam rationem gradus, indolis, durationis atque originis, & si quae sunt alia, quae huc facere possunt, multifarie discrepantem reddere posse hanc naturae & sanguinis anomaliam, nemo est, qui ignorat, aut inficias ibit. Sed partim supervacaneum mihi videtur, partim etiam a scopo & brevitate, quam intendo, alienum, rem satis planam ac notam copiosius velle deducere, & adductas circumstantias cum magno apparatu ex aliorum libris deprompto adaugere; quapropter ad definitionem & causas potius huius morbi declarandas me converto.

X.

Vt igitur iam specialius ad morbi, quem considerandum mihi proposui, evolutionem perveniam, placet eum ita brevissimis *definire* vel describere. *Clavus haemorrhoidalis* est doloris species in certa quadam eaque exigua capitis parte, ea fere sensatione in aegro, ac si clavus illuc loci capiti infixus esset, ortum plerumque trahens a congestione vel stagnatione sanguinis aut feri circa partem dolentem, post suppressas vel non succedentes haemorrhoides, tam in viris quam mulieribus: qui saepe non cessat, nisi sanguinis copia sive per haemorrhoides, id est, venas

*Definitio
clavi
haemor-
rhoidalis.*

vel arterias intestini recti; sive per nares excernatur; vel saltem larga feri vel muci, quandoque subcruenti aut purulenti copia per praedictas partes reiiciatur.

XI.

Causae.

In definitione modo diximus, causam proximam ex congestionem vel stagnationem sanguinis, qui alias per haemorrhoides excerni solebat, petendam esse; nec facile erit, qui illam dubiam reddere velit: cum effectus, subsequens scilicet excretio feri sive sanguinis, ut Philosophi aiunt, satis de causa testari possit. Prae omnibus itaque causa antecedens hic examine accuratiori digna videtur: nec illam faciliori ratione, quam ex comparatione cum causa clavi hysterici, explicari posse arbitror. Quemadmodum enim celeberrimorum Medicorum sententiae in eo egregie inter se conspirant, quod suppressio, imo & emanatio mensium, praecipuam & communissimam causam clavi hysterici constituat, adeo ut nomen ipsi exinde post SYDENHAMIVM, *Epist. de hysterica passione*, communi omnium consensu datum fuerit; siquidem suppressionem ac emanationem mensium hysterica passio cum suis symptomatibus saepissime pressio pede sequatur, hanc vero tandem clavus ipse hystericus; ita quoque in eo non facile dissentire eosdem posse confido, quod obstructio fluxus menstrui ob naturalem analogiam ratione finis, scopi & intentionis naturae merito masculorum obstructis haemorrhoidibus debeat comparari. Quae cum ita sint, uti sunt, probatum mihi videtur satis, etiam apud masculos confirmabilem morbum dari posse, quamvis idem vix aut raro in

in systematibus medicis pertractetur, & eadem opera simul evictum, causam antecedentem nostri morbi praecipuam & maxime frequentem suppressionem haemorrhoidum esse; & propterea nihil obstare, quo minus illum, ad modum clavi hysterici, *clavum haemorrhoidalem* appellemus, cum hic pari ratione mares & feminas, quae haemorrhoidibus laborarunt, ac clavis hystericus feminas, quibus menses suppressi, afficiat. Atque isto modo rem non in speculatione saltem aut theoria, sed in subiectis aegris ipsis exacte se habere, ipsa experientia haud ita pridem Lipsiae edoctus sum: ubi in viro primum se exhibebat suppressio haemorrhoidum, huic succedebat malum hypochondriacum cum variis symptomatibus, mox in cephalalgiam & in specie in clavum, quem haemorrhoidalem vocavimus, degenerans. Atque tali modo ex theoria pariter ac praxi consentiente, causa huius morbi praecipua & specialis cum generali, quantum licet & libet, demonstrata videtur.

XII.

Qua quidem sententia non negare volumus, motum corporis deficientem, quo copia et spissitudo sanguinis introduci potest; excedentem, in quo per nimium calorem humores corporis, eiectionis subtilioribus & fluidioribus, exsiccantur, & circulatio & secretio quibusdam in locis impeditur; nec non potus nimii ac spirituosiores, praesertim spiritus vini vel vini fortioris, ut & aerem calidiorem aut frigidiorum, talemque tempestatem aliam, si quis ei diutius expositus sit, cibi crassiores, adstringentia, aliaque spissitudinem fan-

sanguinis atque orgasmum promoventia, causam & ansam praebere posse huic malo, quod κατ'ἀναλογίαν clavum haemorrhoidalem cognominavimus.

XIII.

Subie-
ctum.

Et cum temperamentorum ea sit ratio, ut non facile unum in uno eodemque subiecto deprehendatur, sed eorum tanta sit diversitas, tantaque commixtio, ut in uno plerumque omnia, quamvis diverso gradu & indole varia reperiantur; hinc, mea quidem sententia, hoc respectu omnes homines etiam huius morbi subiectum esse possent; utut hoc vel illud temperamentum pro crasi sua illi plus vel minus obnoxium sit. Quis enim est, qui ignoret, *temperamenta melancholica, cholericæ & sanguinea* prae aliis a morbo isto affectu tentari? *) cum enim frequentiores motus haemorrhagicos, praesertim haemorrhoidales in eis reperire liceat, ob eosdem congestionum & stagnationum agmina facile se exserere possunt: & si declinatio a statu recto & naturali fit, congestiones hae actu quoque mox saepissime existunt. Aetas tamen virilis & senilis magis ad hoc vitium prona est, quam iuvenilis, hanc praesertim ob causam: quod hae aetates haemorrhoidum fluxui prae ceteris maxime subiectae sint; ideoque deficiente eo, morbos experitur eos, qui ex suppressione vel emansione illarum suam ducunt originem.

XIV.

*) SYDENHAMIVS hystericas cholericas clavo maxime obnoxias esse notat *epist. iam laudata de hysterica affectione.*

XIV.

Iam uti clavus hystericus sequiori sexui pro-^{Plerum-}
prius & peculiaris affectus est; ita clavus haemor-^{que ma-}
rhoidalis mares magis affligit: idque eo magis, si for-^{res.}
sitane tale vitae genus sibi elegerint, quod magis sup-
pressioni sive obstructioni haemorrhoidum occa-
sionem praebere, & huic morbo tali modo viam ster-
nere possit. Quod si enim quis verbi causa talem
vivendirationem inchoet, ut in ea vel motuum excessus
fiant, vel defectus eorum contingant, vel denique
utriusque variationes non moderate se invicem exci-
pian, extra omnem dubitationem positum esse ar-
bitror, eum magis sibi ab hoc hoste timendum ha-
bere, quam alium, qui diuersum vitae genus pro-
sequitur, aut sensim sensimque mutat. *Omnes enim subi-*
taneae mutationes, teste HIPPOCRATE periculosae.

XV.

Locus affectus in hoc morbo est caput; & qui-^{Locus af-}
dem pars eius exigua, quae apice digiti vel clavi fer-^{fectus.}
rei capitulo fere contegi potest. Sed hic locus in o-
mnibus non est idem, verum in nonnullis sedet su-
pra oculum in loco superciliorum, ut VALESCVS de
TARANTA notavit: in aliis supra canthum oculi maio-
rem, ubi sinus frontales sunt, quemadmodum PECH-
LINVS observavit. PISO eum in fronte vidit; WELSCHI-
VS circa tempora; HELMONTIVS in vertice; ELSHOL-
ZIVS & FORESTVS in occipite; alii forte in aliis locis,
prout sanguis, in vasis haemorrhoidalibus ob quam-
cunque causam exitum non inveniens, modo circa
hanc modo circa aliam partem forte congeritur: ubi ro-
dendo vel distendendo membranas nerveas pericranii,

vel durae aut piaë matris, vel membranulae in sinibus frontalibus, spasmos ac dolores illos excitat.

XVI.

*Diagnosis
specialis*

Inter criteria huius mali praecipua primum locum occupat *premens & ardens dolor*, modo magis, modo minus vehemens; modo *pungens*, modo quasi *terebrans*, in certa & exigua capitis parte, coniunctus cum sensatione ista, a qua dimidiam suae denominationis partem derivat, & *clavus* appellatur. Ut enim supra iam mentionem fecimus, quoties morbus hic occurrit, talem aegrotantes persentiscunt dolorem, ac si clavus capiti vehementer impressus vel infixus haereret: qui sensus tamdiu ut plurimum perdurat, usque dum excretio noxii aut *purulenti* sanguinis exitum vel per nares, vel per haemorrhoides invenerit. Praeterea solita in his affectibus congestionum caloris augmentatio, vasorum inflatio sive turgescencia, phlogoses, nec non coloris & caloris naturalis incrementum, imprimis circa caput, atque articularum pulsatio, agrypnia, & circa reliquas corporis partes torpor ac lassitudo sive debilitas, signa morbi adaugere solent. Accedit pulsus undosus plerumque, & durus, urina rubra, quandoque vero flammea, spumans: quae coniunctim & in aliis gravioribus morbis a sanguinis congestionibus ortis obvenire solent.

XVII.

Prognosis

Levior forsitan morbus noster videri posset, nisi tristis eventus saepius iam docuerit, quantum vel ipsemet mali possit advehere. Quod si enim sero vel perverse medicina paratur, aut aegro non a naturae benignitate auxilium fertur, quae vel fluxum haemorrhoidalem

pro-

promoveat, vel alium excretionis sanguineae, locum e. g. nares aperiat, in multum certe tempus, non sine magno aegroti incommodo, potest protrahi, imo usque ad sensuum quandam aliquando debilitationem. Inde etiam apoplexia sanguinea, vel arthritis, & quidem si non universalis, tamen affectus arthritici, ut dolores oculorum, ophthalmoponia sive ophthalmagra, odontagra, hemicrania diuturna, aut cephalaea, susurrus atque tinnitus aurium molestissimus, otalgia, graviores vertigines, quin & ipsa phrenesis, quae summa capitis inflammatio est, perniciosissimum illud periculosissimumque malum, tanquam ex infelici fonte, emanare possunt, atque revera quoque propullulant. Quando vero rite curatur & in tempore, haud levis spes est, aegrum inde quoque rursus liberari posse: quamvis nec hoc dissimulandum, quod unus ex eis sit morbis, qui data occasione facile redeunt, periodici fiunt, atque aegrum per intervalla male affligunt.

XVIII.

Atque haec eum in finem omnia proposuimus *Cura gē-
neralis.* sive praemisimus, ut iam convenientem curam quoque ac medelam morbo afferendam eo certius inde eruere liceat; id quod sine ambagibus & circum-
 itione verborum, quantum exiguae vires nostrae permittent, praestare conabimur. Indicatio primaria hic est, haemorrhoides obstructas esse restituendas; secundaria, sanguinem ex obstructis haemorrhoidibus in capite congestum esse partim revellendum & evacuan-
 dum, partim resolvendum & in circulum redigendum. Ergo morbo huic triplici illa cura, puta pharmaceu-
 tica, chirurgica & diaetetica medemur. Ad phar-

maceuticam quod attinet, quae primum merito sibi locum hic vindicat, sanguini stagnanti, aestuanti & ad inflammationem prono, temperantibus, attenuantibus sive resolventibus medicamentis, discutientibus ac diluentibus cum primis succurrendum erit, ut sanguis stagnans rursus dilui, resolvi, ac moveri, imo promoveri & in ordinarias vias sive venas salutariter reduci possit. Propter partes vero sanguinis corruptas sive depravatas, atque in corpore forsitan relictas, imo & revulsionis gratia, leniora cathartica quandoque alterantibus interposita, non sine singulari effectu aegrotis commendari debere arbitror.

XIX.

*Cura
specialis.*

Si specialius ad curam attendere animus est, pharmaceutica, alterantibus & leniter diaphoreticis cum primis in pulveribus, potionibus atque essentis datis, auxilium praebet. Ante omnia pulveres ex terreis, absorbentibus & salinis temperantibus statim ab initio morbi porrigi possunt optimo cum successu: ut pulveres temperantes varii hodie hinc inde usitati, praesertim STAHLII, D. Praefidis, pulvis temperans ex matre perlarum praeparata, vel magnesia cum paucis nitri depurati, scilicet ad grana tria vel quatuor saltem pro dosi admixti. Potiones temperantes ex lap. cancror. matre perlar. aqua rosarum, florum tiliae, sambuci & cinamomi sine vino, edulcoratae cum saccharo violaceo, vel rotulis e succo berberum; item ex aqua card. ben. vel ceraforum, cum cinamomi sine vino, & pulvere magnesia, additis pro dulcedine rotulis violaceis, possunt praeparari. Potiones singulis duabus vel tribus horis; pulveres

vero

vero bis vel ter per diem porriguntur. Deinde resolventia cum temperantibus atque etiam discutientibus coniunguntur in pulveribus & potiunculis : nempe diaphoretica fixa , ut antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, nec non pulveres bezoardici, inprimis *Sennerti* & similes , etiam cum guttula olei iuniperi veri vel ligni sassafras pro dosi remixti. Ita et salia media , inprimis nitrum antimon. tartarus vitriol. & arcanum duplic. addi possunt. vel liquor quidam temperans ex aqua flor. paralyf. tiliae vel rosarum, cum sale digestivo **SYLVII**, vel oleo nitri fixi paratus, ex infuso theae vel coffe sumtus : cuius liquoris unciae semis addi possunt gutta unica vel duae olei lavendulae aetherei. item oleum bezoardicum **WEDELII** cum saccharo mixtum, vel cum pulvere temperante superius indicato. Pulvis antispasmodicus **STAHLII**, vel pulveris antispasmodici & temperantis aequales partes saepius aegrotis exhibitae egregie hic profunt ; vel etiam potio quaedam ex aqua cerasorum, & cinamomi sine vino, pulvere magnesiae, additis cinnabari nativa & saccharo candisato albo, vel saccharo perlato ; imo & olei iuniperi destillati veri guttis aliquot & rotulis e succo ribium. Vel pulvis temperans , & antispasmodicus cum aquis analepticiis ac diaphoreticis in forma potionis ter vel saepius per diem adhibentur. Infusa aquea calida, ex thea vel ex aliis herbis & radicibus attenuantibus parata, hic quoque egregie prodesse possunt : ut & essentiae variae diaphoreticae ex scord. pimpinella alba, angelica & levistico parata , mane praesertim cum eiusmodi infusis assumtae, subsequente regimine diaphoretico.

Cessante tandem paululum aestu *catharsis* quaedam lenis optimum effectum praestat: ut potio quaedam laxans ex magnesia cum manna & aqua florum aca-
ciae, vel ceraforum nigrorum, subiuncto circa noctem
& subsequente die mane pulveribus iam supra laudatis
temperantibus. Postea etiam proderit medicamenta
haemorrhoides revocantia exhibere: qualia sunt pilu-
lae balsamicae, aloetica & myrrhata alia, de quibus plu-
ra videri possunt in autoribus practicis. Nam mulieres
clavo hysterico laborantes, mensibus obstructis resti-
tutis a clavo liberantur, teste STAHLIO *diff. de poda-
gra*; ita autore HILDANO, *obs. 9. cent. 2.* inveterata
hemicrania, (quae cum clavo magnam habet analogi-
am) copiosa sanguinis per alvum profusione curata est.

XX.

*Cura ex-
terna.*

Externe nonnulli aquam frigidam cum lina-
mentis saepius loco dolenti applicatam commendant,
& salutes eius effectus praedicant. Quando vero
hac quis uti nolit propter dubium & ancipitem effe-
ctum, tunc haud levem usum praestant epithemata
tam sicca ex floribus chamomillae, sambuci & farina,
vel ex herba & floribus millefolii & mica panis; quam
fluida ex spiritu sambuci, rosmarini, serpilli, spiritu
vini camphorato roborato; vel etiam lacte tepido ve-
ficae incluso; ut brevitatis causa errhina blanda ac
moderata, aliaque taceamus, cum haec indicata, tan-
quam selecta, secura & usu probata indicasse sufficiant.

XXI.

*Cura
chirurgica*

Quemadmodum vero saepius iam monuimus flui-
ditatem sanguinis in hac declinatione a statu sano
Medicis maxime omnium debere esse curae cordi-
que;

que; ita & hoc loco praesertim ad illam animum attendere debemus, ubi de chirurgico auxilio paucula adiicienda supersunt. Hoc enim est, quod salutaris instituto ad hunc finem obtinendum in subsidium vocatur, praesertim per *venae sectionem*, atque *scarificationem*; quae optime praeservandi causa circa aequinoctia & solstitia suscipiendae videntur, imprimis si aegrotantes multo sanguine abundant. Nec erit facile, qui venae sectionem & scarificationem etiam in paroxysmo ad revulsionem imo ad ipsam quoque naturalem deficientem haemorrhagiam, haemorrhoides scilicet, promovendam multum conferre, in dubium vocaturus sit, praesertim si in pedibus instituatur. In vehementiori malo etiam V. S. in iugulo, & revulsionis gratia *vesicatoria* quoque prodesse existimo, omnium maxime vero *hirudines* ano applicatas.

XXII.

Succedit in ordine *Diaetetica*, quae uti in reliquis humanis morbis, ita & in hoc quoque laude sua non erit defraudanda. Quis enim est, quamvis Medicinae sacris vix fuerit initiatus, qui nesciat, vel eam solam, si rite observetur, aegrotantibus quam plurimis optime succurrere posse, eandemque omnem diligentiam, studium atque operam Medici irritam reddere, si fuerit neglecta. Necesse itaque est, eam hic quoque in nostro casu diligenter ante oculos habere, & ad iudicandas regulas, quamvis generales, imprimis & sedulo attendere: scilicet, ut primo ad fluiditatem humorum obtinendam, debita mensura potus, morbo convenientis, tenuis scilicet & diluentis adhibeatur; nihil enim maiorem efficaciam in sanguinem eiusque circulationem habet, quam *potus*: quem adeo, si rite praescribimus, dimidium laboris circa hunc morbum factum esse existimo. Deinde victus etiam sit tenuis & parvus, vitando nimium & crassum. Praeterea aerem evitet frigidum & humidum, ut & nimis calidum, quaeratque, quantum potest,

Cura diaetetica

est, temperatum ac serenum. In studiis, somno & vigiliis fervetur modus. Denique cum *motus* secundum vulgare illud, *corpus in motu & animus in quiete*, praecipuum sit, quo sanitas consistat, eo allaborandum est, ut & hic conveniens ordo non negligatur; sed afflictus, quem ab hoc malo liberandum habemus, iustum in eo modum teneat. Neque enim in hoc casu nimius, quod plerumque noxium est, nec plane nullus, sed frequens at moderatus, locum habere debet. Tandem opera danda ut obstructions alvi evitentur eaque aperta semper fervetur, fugianturque ea, quae transpirationem naturalem impedire possunt. Quibus non neglectis, & natura haud facile excretiones suas necessarias negliget, quae maxime allevant corpus & congestiones ad superiora praecavent. Postremo ut naturam circa salutare hoc negotium, haemorrhoides scilicet, versantem ex negligentia quadam non impediamus. Quod si vero harum rerum omnium debitam rationem habuerimus, nec felicem, annuente numine, conaminibus nostris eventum defuturum esse speramus.

XXIII.

*Cautelae
practicae.*

Antea vero, quam aliqualis per medicamenta facta sit alteratio, ab evacuatione forti abstinendum est: ne videlicet laudabiles pariter ac illaudabiles seu corrupti humores aegrotantibus una subtrahantur, & plus mali inde, quam commodi resultet. Deinde vero omnis est cura adhibenda, ne excretiones aliae naturales ullo modo impediuntur; sed sedulo, quantum licet, & promoveantur atque continuentur. *Cucurbitula* loco dolenti in paroxysmo adhibita, mox omnem dolorem sustulit, restantibus Misc. Nat. Cur. Alium hirudines parti affectae applicatae. BORELLVS vena frontis aperta clavum curavit. vid. obs. 61. centur 1. *Paraeus arteriotomia* lib. XIV. cap. 4. Quibus omnibus singulisque probe expensis & observatis, accedente favore Numinis, abs quo solo successus medelae felix aegroto & levamen a dolore sensim allatum, & sanitatem ipsam suo tempore restitutum iri, cum ratione confidimus.